



§. III.

Angulus incidentiae & reflexionis.

DEFINITIO III. Cum mobile oblique in planum impingit *Angulus incidentiae* dicitur, quem facit directio mobilis cum perpendicularo, quod ducitur ad superficiem corporis impulsu in eo puncto, in quo fit conflictio. *Angulus reflexionis* ille est, quem cum eodem perpendicularo efficit directio mobilis post conflictum resilientis. P. MAKO S. J. *phys. gen. n. 52.*

§. IV.

Angulus inclinationis.

DEFINITIO IV. *Angulus inclinationis* (quem alii cum cl. FORTUNATO A BRIXIA *Phys. gen. n. 280.* ab angulo incidentiae non distingunt) est quem directio mobilis ante conflictum efficit cum plano in quod impingit.

SCHOLIUM. Sit in autore nostro classico P. BIEWALD *fig. 32. tab. 4. Phys. gen.* directio mobilis P ante conflictum linea PF, punctum in quo fit conflictio, F, perpendicularum ex puncto F ad planum AB erectum linea EF; erit angulus incidentiae CFE, angulus reflexionis EFD, angulus inclinationis CFA.

§. V.

Ex universis conflictionibus obliquae.

THEOREMA I. Conflictiones obliquae ad directas reductae, harum legibus diriguntur. DEMONSTRATUR: Resolvatur vis per